



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Votum Lessij, pro morbo auertendo, quàm circum spectum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

hostes, si Deus adsit semper constare, exclamabatq; frequenter: *Quis ego sum, quem DEVS ad patiendum sibi elegerit!* & alias: *Miror non raro ad tantum certamen à Deo, me tam imbecillum athletam, designatum esse. Herculem aliquem electum oportebat. Sed benedictus Dominus in aeternum.*

Quare ut erat de se ipso submissè sentiens, subsidiarias quotidie è celo vires flagitabat. Omnes è amicorum preces vertebat, ut fortem & constantem patientiam impetraret. Sanctorum ipsana cum veneretur, id non agebat, ut sanitatem miraculo, quo indignum se putabat, sed ut animi robur reportaret. Româ delatum erat crystallo inclusum Ioannis Berchmanni cor (is est è Societate IESV adolescens Belga, Dieftemio oriundus, qui magnâ sanctimonia famâ è viuis Romæ excessit, atatis suæ Anno vigesimo secundo, Incarnati Christi vigesimo primo super millesimum sexcentissimum) Lesio illud exhibitum est, quo sancti adolescentis intercessione, ab atrocissimis doloribus liberaretur, quibus plus decem dies adeò affligebatur, ut nec quartam horam partem quiesceret; rogare se quidem Sanctos dicebat, quia id DEO gratum: putare tamen conclusum esse in aeterno tribunali, ut ipse in hac vita pateretur. Vnde se corpus suum diuina Majestati in Sacrificium offerre, & rogare, ut, si extremi dolores non sufficerent, alios adderet, modo patientiam & animi lætitiã simul donaret. Numquam determinatè absolutèq; postulauit à malis suis liberari: postulauit tamen conditionatè, in hac verba, quæ sua manu charta commisit. *Beatissima Virgo, si dolores istos abstuleris, voueo omnibus Profestis tuis ieiunium in pane & aqua: Rosarium in Profesto & ipso die: horas B. V. omnibus Sabbatis: (nisi Superior, vel iusta causa obstiterit) Festo Purificationis, Annuntiationis, Præsentationis, Assumptionis, Natiuitatis, Conceptionis. Non cupio autem, nisi sit ad maiorem DEI gloriam, & meam salutem. Tenebor simul atq; aliquo modo constiterit. Si error vel obliuio interuenerit, licebit proximo Sabbato instaurare. Quo è promisso non solùm colligere est mali acerbitatem, sed & clarè videre animum ex æquo ad diuinam voluntatem compositum; uti etiam ex epistola ad amicum, Paulum nunc respiro, nescio quàm diu durabit. Totum permitto diuino arbitrio, & in eo libens acquiesco. Tantùm precor, ut mihi det fortem & constantem patientiam: quam suis precibus & sacrificijs mihi impetrare dignetur.*

Rr

Eximia

X.